

\*\*\*\*\*

## \* SERMO CCXXVII.

IN DIE PASCHÆ IV.

*Ad infantes de Sacramentis.*

Memor sum promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem quo exponerem mensæ Dominicæ Sacramentum, quod modo etiam videtis, & cuius nocte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, imò quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus & sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si bene accepistis, a vos estis quod accepistis. Apostolus enim dicit: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Sic exposuit Sacramentum mensæ Dominicæ: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam con-

\* Aliàs de  
Diversis  
83.

<sup>a</sup>  
I. Cor. 10.  
17.

<sup>a</sup> Lov. in remissionem peccatorum, si bene accipitis: omisso, vos estis quod accepistis, quod nos ex MSS. restituumus.

conjuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante a jejunii humiliatione & exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit Baptismum & aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est chrisma. Oleum etenim ignis b nostri, b Spiritus sancti est sacramentum. In Actibus Apostolorum advertite, quando legitur. Modo \* incipit liber ipse legi. Hodie coepit liber, qui vocatur Actuum Apostolorum. Qui vult proficere, habet unde. Quando convenitis ad Ecclesiam, tollite fabulas vanas: intenti estote ad Scripturas. Codices vestri nos sumus. Adtendite ergo & videte, quia venturus est Pentecoste Spiritus sanctus. Et sic veniet; in linguis igneis se ostendit. Inspirat enim caritatem, qua ardeamus in Deum, & contemnamus mundum, & scœnum nostrum exuratur, & cor quasi aurum purgetur. Accedit ergo Spiritus sanctus, postquam ignis: & efficiamini panis, quod est corpus Christi. Et ideo unitas c quodammodo significatur. Tenetis sacramenta ordine suo. Primò post orationem admonemini sursum habere cor. Hoc decet membra Christi. Si enim membra Christi facti estis, caput vestrum ubi

\* V. Serm.  
aliàs 93. de  
Diversis.

<sup>a</sup> Lov. ante jejunii humiliationem exorcismi sacramento quasi molebamini. Floriacensis vetus codex, ante jejuniis, humiliatione, exorcismi quasi molebamini. Aliorum quorundam MSS. est lectio quam elegimus. Confer Fragmentum Serm. 229. & lib. de Fide & operibus c. 6.

<sup>b</sup> Floriacensis MS. loco nostri habet, nutritus, seu nutrit.

<sup>c</sup> Omnes MSS. quomodo.

ubi est? Membra habent caput. Si caput non præcessisset, membra non sequerentur. Quòd ivit caput vestrum? Quid reddidistis in Symbolo? *Tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.* Ergo in cælo est caput nostrum. Ideo cum dicitur: *Sursum cor*, respondetis: *Habemus ad Dominum.* Et ne hoc ipsum quòd cor habetis sursum ad Dominum, tribuatis viribus vestris, meritis vestris, laboribus vestris, quia Dei donum est, sursum habere cor, ideo sequitur episcopus, vel presbyter<sup>a</sup> qui offert, & dicit, cum responderit populus: *Habemus ad Dominum sursum cor; Gratias agamus Domino Deo nostro*, quia sursum cor habemus. <sup>b</sup> Gratias agamus, quia nisi donaret, in terra cor haberemus. Et vos adtestamini, *Dignum & justum est*, dicentes, ut ei gratias agamus qui nos fecit sursum ad nostrum caput habere cor. Deinde post sanctificationem sacrificii<sup>c</sup> Dei, quia nos ipsos voluit esse sacrificium suum, quòd demonstratum est, ubi impositum est primum illud, sacrificium Dei & nos, id est, signum rei quòd sumus: ecce ubi est peracta sanctificatio, dicimus orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Post ipsam dicitur: *Pax vobiscum*; & osculantur se christiani in osculo sancto. Pacis signum est: sicut ostendunt labia, fiat in conscientia. Id est, quomodo


<sup>a</sup> Floriacensis MS. non habet, qui offert, & dicit cum responderit populus. Sed horum loco in interlineari spatio à secunda manu additum est, postquam responsum est.

<sup>b</sup> Hic & infra verba quædam in editis omissa restituuntur ex MSS.

<sup>c</sup> In loco perplexo libris MSS. insistimus. Quippe non concinnis apud Lov. hic habetur, sacrificii dicitur, quod & paulò post omittitur, ubi impositum est.

modo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde ejus non recedat. Magna ergo sacramenta, & valdè magna. Vultis nosse quomodo commendentur? Ait Apostolus: *Qui manducat corpus Christi, aut bibit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quid est indignè accipere? Irridenter accipere, contemtiliter accipere. Non tibi videatur vile, quia vides. Quòd vides, transit: sed quòd significatur invisibile, non transit, sed permanet. Ecce accipitur, comeditur, consumitur: numquid corpus Christi consumitur? Numquid Ecclesia Christi consumitur? Numquid membra Christi consumuntur? Absit. Hic mundantur: ibi coronantur. Manebit ergo quòd significatur a æternaliter, quàmquam transire videatur. Sic ergo accipite, ut vos cogitetis, ut unitatem in corde habeatis, sursum cor semper figatis. Spes vestra non sit in terra, sed in cælo: fides vestra firma sit in Deum, acceptabilis sit Deo. Quia quòd modo hic non videtis, & creditis; visuri estis illic, ubi sine fine gaudebitis.

<sup>a</sup> Vox aternaliter à Floriacensi libro abest.



## SERMO CCCLI.\*

## De a utilitate agenda Pœnitentiæ I.

\* Aliàs 50.  
inter 50.  
homilias, &  
in tomo 9.  
a

CAPUT I.  
Pœnitentiæ humilitas quam necessaria.  
Jacob 4. 6.  
Luc. 18. 14.

Ibi. II. &c.

I. QUAM sit utilis & necessaria pœnitentiæ medicina, facillimè homines intelligunt, qui se homines esse meminerunt. Scriptum est enim: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Dominus in Evangelio dicit: *Quoniam qui se exultat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur;* magisque justificatus descendit de templo publicanus ille peccatorum confessione sollicitus, quam pharisæus meritorum enumeratione securus. Quamvis enim & ipse gratias egerit Deo, dicens: *Gratias tibi ago, Deus, quoniam non sum sicut ceteri homines, injusti, adulteri, raptores, quomodo & publicanus iste: jejuno bis in sabbato, decimas de omnium quæcumque possideo;* tamen ei prælatus est ille, qui *de longinquo stabat, neque oculos audebat ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Non enim ille pharisæus tam sua sanitate, quam mor-

a Exstabat in tomo 9. membris multis mutilus apud Erasmus, qui hunc & subsequentem tractatum censuit plurimum discrepare ab Augustino. Sed ipsius sanè & doctrinam uterque habet & stilum, nostro judicio. Notat utrumque seorsim Possidius in eodem Indiculi cap. 8. Atque hunc priorem sæpe citat Florus appellans librum de Pœnitentiâ ad I. Corinth. 5. & 6. &c. Sermonem tamen sapiunt nonnulli modi loquendi, ut iste cap. 2. *Quas necum vestra eruditio recognoscit.*

morborem alienorum comparatione gaudebat. Utilius autem illi erat, quoniam ad medicum venerat, ea de quibus ægrotabat, confitendo monstrare, quàm dissimulare à vulneribus suis, & de cicatricibus alienis audere gloriari. Non ergo mirum, si publicanus magis curatus accessit, quem non puduit ostendere quòd dolebat. In rebus quippe visibilibus, ut excelsa quisque contingat, in excelsum erigitur: Deus autem cum sit omnium excellentissimus, non elatione sed humilitate contingitur. Unde Propheta dicit: *Prope est Dominus his qui obriverunt cor.* Et iterum: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & excelsa à longè cognoscit.* Excelsa ipsa posuit pro superbis. Illa ergo respicit, ut adtollet; ista cognoscit, ut dejiciat. Cum enim ait, quòd *à longè excelsa cognoscit,* satis eum ostendit humilia de proximo adtendere: ipsum tamen Dominum excelsum esse prædixit. Solus enim Deus arrogans non est, quantacumque se prædicatione laudaverit. Non ergo se arbitretur ab oculis Dei abscondi superbia: Deus enim excelsa cognoscit. Nec se rursus Deo conjunctam putet: excelsa enim à longè cognoscit. Quisquis itaque pœnitentiæ recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. Aliud est enim levare se ad Deum; aliud est levare se contra Deum. Qui ante illum se projicit, ab illo erigitur: qui adversus illum se erigit, ab illo projicitur. Alia est enim soliditas magnitudinis, alia est inanitas inflationis. Qui foris tumescit, intus tabescit. *Qui eligit abjici in domo Dei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum;* eligit illum Deus, ut inhabitet in atriis ejus, & nihil sibi assumptem ille in sedem beatitudinis

Deo excelso humilitate propinquatur.

Ps. 33. 19.

Psal. 137. 6.

Psal. 83.

11.